



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Apotheca Spiritualem Pharmacorum Contra Litem Contagiosam Aliosque Morbos

Wichmans, Augustin

Antverpiae, 1626

Cap. VII. Quenam contra pestem spiritualia sunt remedia.

urn:nbn:de:hbz:466:1-9653

rectè tamen præseruatiua vsus est, contigitque illi secundùm vulgare istud :

Demon languebat, monachus tunc esse volebat :

Postquam conualuit mansit vt antè fuit.

Intumuit enim Ezechias à morbo curatus, & vana ostentatione inflauit seipsum coram Legatis Merodach regis Babylonis qui gratulandæ causa recuperatæ sanitatis ad eum missi fuerant. Lætatus est autem Ezechias super eis, & ostendit eis vniuersa quæ inuenta sunt in thesauris eius & in omni potestate sua. ideoque ab Isaia postmodum corripitur auditque omnes suas opes diripiendas esse à Babylonijs, & filios eius fore regis Eunuchos. quod durum decretum æquanimiter à Domino accipit, oraturque vt saltem in diebus suis fiat pax & veritas. Isa. 39.

C A P. VII.

Quenam contra pestem spiritualia sunt remedia.

HActenus morborum & pestis causas pluribus indagauimus : nunc quæ sint antidota & remedia, propius perscrutemur. Et quidem generalis illa imprimis maxima est, communi Catholicorum consensu approbata, quam & Christus ipse in superioribus nos docuit, pestem & morbos qui ob peccata immittuntur, non nisi per emendationem vitæ, quæ fit peccata detestando neque eadem denuò repetendo, cessaturos, aut ab ijs nos liberandos fore. ita enim sublatâ causâ facillimè tolletur effectus. nam in flagellis positos digna flagellis committere, contra ferientem est specialiter superbire & sæuientis acrius iracundiam irritare.

Vis.

Vis itaque à peste qua affligeris, à morbo quo cruciaris, liberari, vis etiam præseruari? tolle causas ob quas illi immittuntur, fuge peccata propter quæ Deus per illos, & alios castigat, & te nisi fugeris indubiè est castigaturus. Agnouit hoc & præcedendo nos docuit propheta & rex Dauid, qui cum cerneret atrocissimam illam pestem, de qua supra, totum populum indiscriminatim miserabili clade ob peccatum superbiam suam depasci, confestim ab arrogantia sua in dinumerando populo substitit, peccatum agnouit, Dominum deprecatus est; & ecce cessauit quassatio in Israël. Audite publicam tanti Regis confessionem de peccato admissio penitentis: *Ego sum qui peccaui, ego qui iniquè egi. isti qui oues sunt quid fecerunt? ueratur obsecro manus tua contra me. quasi dicat omnia irarum tuarum fulmina in caput meum retorqueas, vibres, effundas, exhaurias, dummodo illis parcas; nam innocentes sunt, ego autem peccaui, ego peccando iram tuam merui:*

Me, me, adsum qui feci, in me conuertito ferrum.

Et quoniam contraria contrarijs curanda sunt, frigida calidis, calida frigidis: omnis namque repletio, ut habet aphorismus Galeni, curatur per exinanitionem, & omnis exinanitio per repletionem; mala opera quæ prius gessimus & ob quæ à Deo punimur, contrarijs bonis operibus abolenda sunt. non enim voluntatis Domini est mors impij, sed ut conuertatur à viis suis & uiuat. Nolo mortem morientis, dicit Dominus, reuertimini & uiuite. & quare moriemini domus Israël? Numquid resina non est in Galaad aut medicus non est ibi? quare igitur non est obducta cicatrix filie populi mei? Conuertimini ad me & discedite à vjs vestris pessimis. proijcite à vobis omnes prauaricationes vestras in quibus prauaricati estis, & facite vobis cor nouum, & spiritum nouum, & uiuetis. quia nolo mortem morientis, dicit Dominus

Ezech. 18
Ierem. 8.

Dominus Deus. reuertimini à diabolo cui haectenus serui-
uistis, ad me: à vitijs quæ haectenus commisitistis, ad vir-
tutes, & viuetis. *Ecce Deus Hebraeorum vocat nos vt eamus* Exod. 1.
viam trium dierum in solitudinem & sacrificemus Domino Deo
nostro ne fortè accidat nobis pestis. Et quid est ire viam trium
dierum in solitudinem & ibidem Domino Deo sacrifi-
care? Scilicet ab inquietantis sæculi turbinibus extra-
ctos Deoque mente proximos effectos, post multas la-
chrymas, post cælo inhærentes oculos tria hæc sacrifi-
cia offerre. quorum Primum est pia contritio, inquit
Bernard. de peccatis habens butyrum humilitatis &
absynthium indignationis. Secundum, digna operatio
habens oleum discretionis & actum confusionis. Ter-
tium, gratiarum actio habens balsamum deuotionis &
bonum gratitudinis. Sacrificium enim Deo spiritus con-
tribulatus & ob peccata præterita in mortario duræ
pœnitentiæ malleo contritus. Pœnitentia igitur agen-
da est, & recedendum à vijs pessimis, & pœnitentiam a-
get ipse Deus super afflictione qua affixit nos Dominus,
quia non vult mortem morientis, sed vt conuertatur &
viuat. Præclarè namque S. Augustinus alibi: Nouit Deus
mutare suam sententiam si tu noueris mutare prauam
tuam vitam. Per gulam, luxuriam, superbiam, &c. Deum
offendimus: per sobrietatem, castitatem, humilitatem
& iustitiam eundem placemus. nam reuocabit sic Deus
flagellum quod coepit immittere, sicuti ludimagister
cùm manu virgam apprehenderit vt discipulum incuria
studiorum torpentem percutiat, si viderit eum mutasse
mores, diligentiam solito maiorem adhibere, continuò
acceptam virgam reponit, neque amplius de propria
sponte emendato discipulo castigando meminit. Minatus
fuerat Deus impijssimo Regi Achab ob scelera eius per
Eliam Thesbitem: *Ecce ego inducam super te malum & deme-* 3. Reg. 2.
tam

3. Reg. 21.

tam posteriora tua & interficiam de Achab mingentem ad parietem & clausum & ultimum in Israël. Si mortuus fuerit Achab in ciuitate, comedent eum canes: si autem mortuus fuerit in agro, comedent eum volucres celi. Ille cum audisset hos sermones, scidit vestimenta sua & operuit cilicio carnem suam, ieiunauitque & dormiuit in sacco & ambulauit demisso capite. & quo fructu? ecce. *Et factus est sermo Domini ad Eliam Thesbyten, dicens: Nonne uidiſti humiliatum Achab coram me? quia igitur humiliatus est mei caussa, non inducam malum in diebus eius.* Pœnituit Achab delicti, pœnituit & mox Deum interminatæ vindictæ. Quomodo Niniuitæ denuntiatum sibi à Deo per Ionam Prophetam futurum intra quadraginta dies excidium euitauerint, nimis notum est ut pluribus referam. aded

Jerem. 9.

verum est quod ore suo promisit: *Si pœnitentiam egerit gens illa à malo suo quod locutus sum aduersus eam: agam & ego pœnitentiam super malo quod cogitavi ut facerem ei.* Culpan-

l. 2. contra
Mar. c. 24.

duſ est Deus, objiciebat Marcion, qui iustitiæ utique non pœnitendæ pœnitentiam gessit. sed bene Tertulianus: In Deo nihil aliud pœnitentia intelligitur quàm conuersio sententiæ prioris quæ etiam sine reprehensione possit admitti in homine, nedum in Deo cuius omnis sententia caret culpa, quam pro rerum variantium se

Hom. in
Psalm. 7.

occurso fieri ostendimus. Homines, inquit Chrysostom. putà hostes, minantur supplicium & re ipsa infligunt: at non sic Deus, sed contrà omnino, & prædicat & differt, & verbis terret, & nihil non facit ut quæ minatur non afferat. Hoc etiam fecit in Niniuitis. nam ille quoque arcum tetendit & gladium vibrauit & iacula parauit, & ictum non inflixit. an non tibi videntur Prophetæ verba esse arcus & telum & gladius acutus quando dicit: *Adhuc quadraginta dies & Ninive subuertetur?* sed telum non emisit. non ided enim erat apparatus ut emitteretur,

sed

sed ut reponeretur. Cuius ergo rei gratiâ quæ facturus es mala prædicis, interrogat idem à Deo? respondet interrogati Deus: Ut non faciâ prædico. Propterea & gehennam minatus est ut gehennâ non inducat. Terreant vos Hom. 1. de pœnit. verba ne facta conturbent. Videamus, inquit idem alibi, quid ineuitabilẽ illam iram soluerit, num ieiunium solũ & saccus? nequaquã, sed totius vitę mutatio: quoniã cõuersus est quisque à vijs suis malis, pœnituit mali quod Hom. 3. ad pop. dixerat facere ipsis Dominus. Sic anno 396. Arcadio Imper. ait S. August. de excidio vrbs c. 6. Constantinopoli, volens Deus terrere ciuitatem & terrendo mutare, terrendo emendare, terrendo cõuertere, terrendo mundare, seruo cuidam suo fideli viro militari venit in reuelatione, & dixit ei ciuitatem venturo de cœlo igne perituram, eumq; admonuit vt Episcopo diceret: dictum est: non contempfit Episcopus & allocutus est populum: cõuersa est ciuitas in luctum pœnitentię quemadmodum quondam illa antiqua Niniue: at ne putarent homines eũ qui nũtiauera vel decepisse vel deceptũ fuisse, prædicto die noctis initio visa est ignea nubes ab oriente primò parua, deinde paulatim vt accedebat supra ciuitatem, ita crescebat donec toti vrbi ingens terribiliter immineret: videbatur horrenda flãma pendere, nec odor sulphuris deerat: omnes ad Ecclesiam confugiebant nec capiebat multitudinẽ locus. baptismum extorquebat quisq; à quo poterat. Verũ vbi exhibuit Deus fidem reuelationi serui sui, cœpit vt creuerat minui nubes, paulatimq; cõsumpta est, sicq; populi & Arcadij Imperatoris precibus alijsq; pietatis operibus ciuitatis salus ab imminente clade impetrata fuit: edebat tũ namq; plurima optimi atq; Christianissimi principis testimonia Arcadius: vtinã nõ Herodias Ioan. hostis, eius lateri inhæsisset quæ postea eum à recto tramite equitatis abduxit. Quod ad nos; superiori & præsentihoc anno graui & diuturno bello supra modũ

Exod. 8.
& 9.

in hoc Belgio lassati & castigati sumus, ita vt propemodum tæduerit nos viuere. Verùm postea ope diuinâ & indefessâ Ducum nostrorum. industriâ ac labore liberati sumus. quisnam quæso nostrum vitam emendauit, quis à peccatis pristinis ob quæ flagellati sumus, destitit? certè perpauci, immò vix ex omnibus vnus: nam vbiq̃ eadem & antiqua vitiorum dominatur consuetudo. Obduruimus cum Pharaone, de quo ita Scriptura: *Videns autem Pharaon quòd data esset requies, quòd cessasset pluuia & grando & tonitrua, auxit peccatum, & ingratum est cor eius & seruorum illius, & induratum est nimis.* Ideoque verendum vt qui cum Pharaone vocem Domini audire nolimus & præteritis plagis emendati non sumus, præsentis hac mortalitate, vt & quondam ipse & populus eius peste, à Domino crudelius castigemur. nam vt pulchrè S. Clemens: Bellum, fames, morbi, pestis, milites sunt supremi Imperat. Dei quos aduersus homines conscribere solet quando se ab illorum vitijs conspicit oppugnari. Ab his militibus si liberari velimus, primò necesse est vt nostros, peccata scilicet, exauctoremus & manumittamus, & placabitur super malitia nostra dimitterque & ipse suum quem conscripsit exercitum. nam Deus pacis est & non dissensionis, qui vt eam se inter & nos firmatam ac ratam esse annuntiaret, altissime pacis tempore, pacato & ab hostibus tranquillo Augusti imperio nasci dignatus est, eamque quàm primùm à morte rediuius discipulis suis precatus est, atque orbe toto ceu lætum nuntium, vt verè erat, euangelizare præcepit, dicens ad eos:

„ In quamcumque domum intraueritis, primùm dicite:

„ Pax huic domui. ideoque adhuc hodie illorum successores Episcopi primum verbum quod sub diuino Missæ officio ad populum proloquuntur, Dominicum illud Evangelium est: Pax vobis. Da igitur pacem Domine in diebus nostris

nostris, & fiat pax in virtute tua & abundantia in turribus tuis : Pacem nam poscimus omnes.

CAP. VIII.

Bona opera contra pestem vtilissima esse remedia.

HÆreticorum insanientium diliria sunt, ideoq; sana refutatione indigna, bona opera ad nihil vtilia esse, immò per seipsa peccata & abominationes coram Deo. Hinc illud Lutheranorum in colloquio Altemburgensi pronuntiatum verè blasphemum: Ad Satanam spectant Christiani cum operibus bonis. Sed ex aduerso Catholicorum omnium sana sententia est, ea non solum ad æternam animæ salutem, verum etiam ad temporariam hanc corporum incolumitatem conducere, neque solum alterius, sed & præsentis vitæ flagella per eadem sæpè auerti. *Talibus enim hostijs promeretur Deus.* Heb. 13.
 Theologorum vertex & ab Angelo diuinitus edoctus Angelicus Doctor S. Thomas, docet, & ex eo Theologi, temporalia hæc bona inter quæ non minimum est corporalis sanitas (non enim est census super censum salutis) bonis operibus à Deo nos de condigno & de congruo promereri. de condigno quidem, quatenus necessaria sunt vel vtilia ad bonum: de congruo autem, in quantum non sunt futura impedimento salutis animarum nostrarum. ita docet S. Augustinus Deum moralia Romanorum bona opera temporali felicitate in debellandis suis hostibus remuneratum fuisse. Quin & benefecit obstetricibus Ægyptiorum ædificando illis domos, id est, 1. 5. De Ciuit. Dei. c. 15. dando Exod. 3.